

manum non pervenerint. « Sane, inquit in Præfatione generali § 1, nulla superesse Bernardi opuscula, saltem alicujus momenti, haud edita existimo, præter nonnullas epistolas, quæ hactenus desiderantur, » et quas ibidem assignat. Quænam vero in editione anni 1719 sint addita, discas ex præfatione generali in fine ejusdem. In admonitionibus autem, quæ opusculis, in secundum volumen ab erudito isto editore rejectis, præfiguntur, spuria, dubia vel incerta a genuinis secernit, eo successu, ut aliis omnibus, qui in hoc studiorum genere ipsum præcesserant, palmam eriperit, teste Caveo heterodoxo, atque adeo neutiquam hic adulationis, vel falsæ laudis suspecto, qui hoc ei dat elogium : « Opera supposititia a genuinis optime discrevit, quæ nemo unquam certius distinxit, vel de iis doctius judicavit. » Hæc ille in sua Scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria.

620. Cæterum doctoris mellifui singulares, et non facile imitabiles in scribendo characteres, peculiari nimirum Spiritus sancti, qui per eum loquebatur, unctione delibatas, ita exprimit idem Mabillonius in sua generali præfatione, volumini primo præfixa, paragrapho primo, num. 3, diserte juxta ac graviter ista scribens : « In ejus enim scriptis elucet ingenium natura nobile, generosum, excelsum : sed humanum, civile et honestum, Eloquentia quasi congenita, sine fuce, non sine ornamento, sed nativo. Solus pressus, oratio vivax, dictio propria, cogitatus sublimes, affectus pii, lepores sponte nascentes, totus sermo unum Deum ac celestia spirans. Ardet, non urens, sed inflammans. Pungit et stimulat, non ut irritet, sed ut moveat. Corripit, increpat, non ut detrahat, sed ut attrahat. Arguit, minatur, terret, sed amando, non indignando. Blanditur, sed non adulatur : laudat, sed non extollit. Urget blande, præstringit absque molestia : delectat, recreat, placet. Quippe oratio ejus, inquit Sixtus Senensis, ubique dulcis et ardens, ita delectat, et ardentem incendit, ut ex suavissima lingua ejus mel et lac verborum fluere; et ex ardentissimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur.

621. « Jam vero doctrinam habet minime vulgarem, Scripturæ sacræ verbis ac succo refertam; sic autem Patrum sentiis inherentes, ut tamen propria ejus esse sentiatur. Ita quippe scribit de rebus divinis, de gratia et libero arbitrio, de moribus et officio pontificum, clericorum, monachorum, laicorum, ut fontem hæc indicent, non rivum aut canallem. Et miramur, si vir tantus amator? Si ejus scripta comparantur, leguntur, teruntur ab omnibus? Si editiones eorum sine numero fiant? Si viri docti et eruditi illis augendis, illustrandis, et ad nativam integritatem revocandis operam adhibeant suam? Si Roma ipsa, orbis domina et magistra, quæ Bernardum quondam docentem, imo et redarguentem venerata est; si Roma, inquam, ipsa libros De consideratione, Eugenio III primum oblatos, tum Nicolai V jussu elegantissime descriptos, demum pontificum typis sub Clemente VIII publicari passa

est, totum Bernardum editura in lucem, si Gerardus Vossius (præpositus Tungrensis) operam itidem suam in totum Bernardum contulisset. Quo minus mirandum est, si in metropoli Galliarum tantum Galliarum lumen regis typis meruit honorari. » Hactenus Mabillonius.

§ LVIII. *Varie Operum sancti doctoris editiones; sententia perperam ei attributa; cur et quænam Chronologia Bernardina hic detur.*

622. « In primis nihil magis Bernardi meritum et pretium arguit, quam adeo frequentes, et toties repetitæ ejus operum editiones, sive ante, seu post inventam artem typographicam. Quippe multiplex illa editio argumento est, quam comparetur Bernardus a multis, quam avidè legatur, quam denique ab omnibus ametur, » ut Mabillonius utar verbis in Præfatione generali § 1, ubi de tot ac tam variis eorumdem Operum editionibus longum mox ac curiosum sermonem subnectit, incipiendo a Moguntina, quam Petrus Schoyfferus fecit anno 1475, quæ ei videtur fuisse prima. Quantum vero diligentia, accuratioris, ac laboris insumperit editor ille Benedictinus, ut sua impressio prodiret in lucem, quam posset emendatissime; perspicuum omnino fit, si quis legat, quæ in allegata Præfatione de hoc argumento subdit, in illa autem, quæ in Operum editione anni 1719, recusa est, hæc de illo lego addita priori : « Toto vitæ tempore crudelis expoliendisque Bernardi Operibus, aliis licet iisque gravissimis studiis distractus, omnem curam, diligentiam omnem impendit. »

623. Ad varias, de quibus dicebam, impressiones addi obiter potest, R. A. dominum Godefridum Bouvart, ordinis Cisterciensis, in celeberrimo ac florentissimo cœnobio S. Bernardi, quod in territorio Antuerpiensi ad Schaldim jacet, ascetam, observatione non indiligenti usum esse, ut impressorum operum ejusdem sancti exemplaria bene multa ac varia cognosceret et annotaret. Inter alia quippe, quæ de eodem sancto huc scripsit die 15. Martii anno 1737. « Addo, inquit, hic seriem editionum operum ejusdem sancti, quas in bibliothecarum, auctionum, et officinarum catalogis, præfationibus Operum, et alibi reperire licuit. » Earum autem catalogus, quem subtextit, incipit ab editione Moguntina anni 1475, ac desinit in Mabilloniana, anno 1719, recusa Lutetiæ Parisiorum, ita ut editiones omnino quadraginta diversas designet.

624. Verum priusquam hinc discedamus ad alia, conveniendus mihi est scriptor quidam catholicus, qui sancto doctori nostro sententiam quamdam imputavit a sana doctrina alienam. De heterodoxis, qui e mellito Bernardi succo venenum conficiunt, jam egimus § 54, num. 574. An vero inter catholicos auctores inveniantur, qui alia quædam in ejus operibus vel minus recte intelligunt, vel perperam carpunt, sicut non est mihi promptum dicere, sic operose inquirere supersedeo : cum illud argumentum non sit proprie fori nostri, sed theologorum; quibus incumbit sanctum Patrem recte intellectum

explicare, non secus atque alios Ecclesiæ catholicæ doctores. Res itaque hic mihi est cum auctore quodam catholico, qui in Bernardo invenisse se putavit, quod in Bernardo non est. Factum intellige.

625. Lucas Castellinus in tractatu De certitudine gloriæ sanctorum canonizatorum cap. 1, puncto 25, § 3, convenit eos quiasserunt « S. Bernardum secutum fuisse errorem illorum qui negabant animas justorum ante extremi judicii diem, frui gloria sempiterna, quemadmodum de illo scribit Alphonsus de Castro lib. III. Adversus hæreses, tit. *Beatitudo*, post sextam hæresim, § *Beatus Bernardus*. » Quæ vero deinde affert idem Castellinus pro defensione sancti doctoris, legi possunt loco mox allegato. Sed pluribus hoc argumentum pertractat Mabillonius volumine primo, pag. 709, ubi expendit sententiam S. Bernardi de medio animarum statu. Sanctum doctorem etiam defendit Natalis Alexander tom. VI. Historiæ ecclesiasticæ, anno 1714 Parisiis editæ, agens de hac re pag. 527 et 528. Si quis porro plura desiderat de Alfonso a Castro, qui natione Hispanus, professione Franciscanus fuit, adeat Waddingi scriptores ordinis Minorum, et Nicolai Antonii Bibliothecam Hispanam.

626. Etiam si me non lateat, in Introductione ad Opera S. Bernardi, a præstantissimo viro Jacobo Merlono Horstio Coloniae publicata, exstare chronologiam vitæ et scriptorum ejusdem sancti Patris, cum præfatione ad lectorem : chronotaxeos tamen Bernardinæ hoc etiam loco rationem esse habendam duxi, de rebus videlicet ab isto magno doctore gestis, atque in meo hoc commentario prævio ad determinatos annorum calculos revocatis e conditore Annalium Cisterciensium, nova vel melior etiam lux accedat, si eæ sub uno veluti aspectu hic ita repræsententur, ut cum temporis ratione Manriciana, quam in dicto commentario secutus sum, conferri, atque hæc ex illa vel confirmari, vel emendari, sicubi forte aberret, merito possit ac debeat. Et vero quisnam inficias ierit, chronologiam esse lucidam historiæ faciem? Produco autem Chronologiam illam, quam Mabillonius ad calcem sui voluminis primi vulgavit, non vero Horstianam. Etenim cum post hanc ordinata sit ista, et in lucem data; mirari non debemus, ultimam istam melioris esse notæ, ab eo videlicet ordinatam, qui post Horstium, aliosque operum ac scriptorum S. Bernardi editores, in eandem recudendam et illustrandam graviter ac sapienter incubuit. *Vide nostræ editionis tom. I, init.*

§ LIX-LX. *S. Bernardus solemnibus ritibus sanctorum canonizatus.*

627-661. Sicut magni Patris in Sanctorum numerum relati dignitas tum ipsi Viro, tum sacro Ordini Cisterciensi universo fuit honorifica propter modum ac rerum adjuncta, quibus actus ille sacer ac solemniter peractus est; sic de anno, quo accidit, inter eruditos non convenit. « Non est, » inquit Mabillonius volumine II, col. 1341, « inter Bernardi elo-

gia ultimo loco reponendum, quod primus ex ordine Cisterciensi in sanctorum album solemnibus ritibus referri meruerit. Poscebant hoc B. viri sanctitatis singularis, immensi pro Ecclesia suscepti labores, coelestes denique insignium miraculorum attestaciones, quibus serius subscribere nefas esse videretur. Vix a sacro ipsius obitu anni decem effluerant, cum in concilio Turonensi, anno 1163 celebrato, sedente et præside Alexandro III, ea res primum agitari coepit. At summus pontifex, quamvis alioqui pro sua erga Bernardum veneratione libentissime annuisset, tantisper nihilo minus differendam censuit ob eas rationes, quas ipse in litteris canonizationis postea exposuit.

662. « Cum enim, inquit, eidem negotio (scilicet de canonizando Bernardo) favorabili satis intendere affectu, supervenit multitudo et frequentia petitorum, qui in diversis provinciis rem similem postulabant, Unde cum nos videremus, non posse congruenter omnibus satisfacere, statutum fuit pro scandalo devitanda etiam in hoc differri, quod oportebat pro tempore cæteris denegari. Demum vero ipsemet Alexander, rogatu Gerardi abbatis et conventus Claravallensis, piorum votis filiorum facturus satis, Bernardum patrem sanctorum fastis ascribi voluit. » Ita Mabillonius. Quod vero, ut supra indicabam, sancto abbati nostro, necnon sacro ordini Cisterciensi universo, ac præsertim ascetis Claravallensibus, maxime honorifica fuerit res ista, perspicuum fiet e litteris apostolicis, quas paulo post referemus.

663. Nunc interea dispiciendum etiam est, cuiusnam anno innecti debeat canonizatio illa. Idem, qui supra, Operum Bernardinorum editor de hoc facto ita disserit columna 1341 citata : « Quo autem anno hoc contigerit, cum in litteris apostolicis diserte non exprimat, non una est auctorum sententia, aliis ad annum 1154, ut Horstio et Henriquez; aliis vero ad annum 1166 referentibus : sed utrisque, ut videtur, contra temporis rationem; cum Gerardus Claravallensis abbas, cui Alexandri litteræ inscribuntur, anno duntaxat 1172 præfecturam inierit. Melius omnium Ciaconius in Alexandro III, cui ex Romanarum antiquitatum, litterarumque pontificiarum notitia tutior fides; reponit ad annum 1174 eumque secutus doctissimus Simonodus in Notis ad Petrum Cellensem ad epist. 9, lib. IX, et Manricus in Annalibus : quibus adstipulatur Albericus in Chronico. Accedit omni exceptione majus testimonium Chronici Claravallensis apud Chiffletium Societatis Jesu, ab auctore anonymo, sed æquali conscripti. »

664. In dicto itaque Chronico, quod vulgavit idem Chiffletius in libro, quem composuit de S. Bernardi Claravallensis genere illustri asserto, pag. 84, notantur ista ad annum Domini 1174 : « Eodem anno facta est dedicatio ecclesiæ Clarevallensis, et canonizatio beati Bernardi, et elevatio ejus : ubi adfuit domnus Wichardus Lugdunensis archiepiscopus, abbas quondam Pontiniaci. Et sequenti anno

in capitulo generali receperunt cantum B. Bernardi, et cantum de Trinitate. » Hinc conficiatur, sacram hanc actionem, qua Bernardus cœlitum contubernio ascriptus est solemniter, restituendam esse anno 1174 et incidisse in diem 18 Januarii, in litteris Apostolicis distincte notatum; atque adeo ab ejus obitu, sicut computat Mabillonius, viginti annis actis, mensibus quatuor, et diebus viginti novem, uti clarum est retrogradienti a dictis anno ac die mensis, ad diem 20 Augusti, et ad annum Christi 1153 sancti emortualem. De elevatione ipsius, de qua fiebat mentio apud Chiffletium mox memoratum, redibit inferius sermo, postquam protulerimus documenta antiqua, etiamsi alibi una cum S. Bernardi operibus vulgata exstant, quæ sacram viri inter sanctos relati inaugurationem illustrant. In editione autem quæ anno 1719 in lucem prodit, litteris apostolicis præmittitur epistola Traimundi seu Tromundi, monachi Claravallensis, ad Gerardum abbatem, a quo Romam missus fuerat, ut beati doctoris canonizationem urgeret. Verum cum nihil magnopere interesset lectoris legere, quæ in ista epistola memorantur, eandem huc transcribendam non judico. *Sequuntur epistolæ Alexandri III de canonizatione S. Bernardi, jam supra editæ, vide col. 2595.*

665-672. Ex his omnibus summæ erga beatum vivum venerationis testificationibus et argumentis, a sede apostolica ad publicos eidem decernendos cœlitum honores exhibitus, concludere debemus, vix ullam ad illud usque tempus in Ecclesia Dei majore cum solemnitate celebratam fuisse canonizationem, quam S. Bernardi, atque adeo hanc et Viro ipsi, et ordini Cisterciensi universo, et ascetis præsertim Claravallensibus maxime honorificam existitisse.

¶ LXI. *Orationes pro missa ab ipso Innocentio PP. III dictatæ; elevationes corporis; altaria; reliquiæ in varias Europæ regiones transmissæ.*

673. Præter alia, de quibus modo egimus, eaque prorsus singularia ornamenta, a Christi vicario Alexandro III dum S. Bernardum cœlitum cœtui aggregavit, litteris commendata; illud etiam accidit singulare, quod postea alius summus pontifex officium ejus in sacrificio missæ recitandum non modo præscripserit, verum etiam ore proprio dictaverit. Factum accipe e Mabillonio antea designato, qui illud sic narrat a columna 1344: « Non erant satis ad Bernardi memoriam et ingentia merita tantæ commendationis monumenta, nisi etiam supremus Ecclesiæ antistes ore proprio ejus officium dictaret. Hoc præstitit Innocentius III ad supplicationem Joannis, ex metropolita Lugdunensi monachi Claravallensis, simulque Raineri monachi Heisterbacensis Innocentio a confessionibus, litteris ad Joannem datis anno 1201, » quas dictus auctor mox ibidem recitat in hæc verba:

674. « Joanni quondam Lugdunensi archiepiscopo. Negare nolumus, quod petere voluisti, cum ex eo tam nobis, quam tibi fructus æternæ retribu-

tionis accrescat. Petisti namque rogatus a fratribus, ut ad honorem beati Bernardi primi Claravallensis abbatis, quem apostolica sedes sanctorum ascripserat catalogo venerandum, non ipsi collectam et alias orationes ore proprio dictarem, tum propter auctoritatem dictantis, tum propter stylum dictaminis cum majore devotione dicendas. Et ecce sicut potuimus, ad instantiam dilecti filii fratris Raineri, petitionem tuam curavimus exaudire. *Collecta*: Perfice, quæsumus, Domine, pium in nobis sanctæ religionis effectum, et ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem, B. Bernardus abbas et doctor egregius suis apud te semper pro nobis meritis et precibus succedat. Per Dominum, etc. *Secreta*: Grata tibi sit, Deus, hujus oblatio sacramenti, quod in memoriam Dominicæ passionis tuæ offerimus majestati. *Postcommunio*. Suum in nobis, omnipotens Deus, cibus, quem sumpsimus, operetur effectum, ut incorporet nos sibi esus edentes. Qui tecum, etc. Datum Laterani vi Idus Julii. »

675. Hæc productis superaddit ista Mabillonius: « Ubi vides S. Bernardum doctoris nomine a summo Ecclesiæ præsule fuisse insignitum, quod quidem ab ipso etiam Alexandro III in Missa canonizationis usurpatum testatur vetus codex Corbeiensis, in quo sancti vita continetur, ubi præmissis Collectis, *Adesto supplicationis nostris*, etc., de communi epistola, *Hæc dicit Dominus, Ego misi ad vos mandatum istud*, etc., nec non Evangelio de doctoribus, *Vos estis sal terræ*, hæc subjiciuntur: Hæc missa superscripta de S. Bernardo a D. papa Alexandro III in primis est celebrata. »

676. Regrediamur nunc ad sancti doctoris elevationem, quæ paragrapho proxime antegresso obiter a nobis est indicata ex Chronico Claravallensi apud Chiffletium; ubi vidimus, ecclesiæ Claravallensis dedicationem, canonizationem S. Bernardi, et elevationem ejus alligari anno 1174. Manricus ad, istum annum cap. 2, numer. 2, elevationem differt, ita loquens: « Dedicationem ecclesiæ Claravallis, et canonizationis sancti Bernardi meminit magnum Chronicum Belgicum ad hunc eundem annum: quamvis confundat cum elevatione corporis sancti, quam tamen constat contigisse post quadriennium. » Sed quia auctor Chronici Claravallensis synchronus, et omni exceptione major, quid sit de Magno Chronico Belgico, istam elevationem affigit dicto anno 1174, non videtur nobis accusandus de errore, si alia via excusari possit. Et quippe ni possit, si duas elevationes tempore diversas accidisse admittamus, præeunte Mabillonio, qui columna 1341, observat sequentia?

677. « Quod spectat ad elevationem, de qua mentio in citata auctoritate (Chronici videlicet Claravallensis apud Chiffletium) in libro sepulcrorum Claravallis facta esse dicitur ab ipso Guicardo quidem Lugdunensi, et Henrico abbate Claravallensi post aliquot annos a canonizatione: sed hoc de alia solemniori translatione intelligendum esse, satis ipsa verba declarant; dum prædictum Henricum abbatem insinuant per G. archiepiscopum Lugdu-

nensem curasse » elevationem istam. Verba libri sepulcrorum Claravallensium apud Manricum, quem allegatus Mabillonius citat ad annum 1178, sic ibidem cap. 3, numer. 1, referuntur, oblata opportunitate Godefridi Soritani, qui præsens aderat inter cæteros: « Audiens autem (Godefridus) canonizationem beati Bernardi per felicis memoriæ Alexandrum papam III factam, et translationem corporis ejusdem beati Bernardi sub domino Henrico abbate septimo Claravallis faciendam, ad capitulum generale veniens, exinde Claravallem festinavit: ubi cum archiepiscopo Lugdunensi, et coepiscopis officiosissime studuit interesse. »

678. Deinde ex eodem libro in epitaphio Henrici, « Duo, » inquit Manricus, numer. 2, « in Claravalle bona opera et magnifica, exemptis aliis innumeris bonis, gloriose consummavit. Nam beatum Bernardum quem jam dominus Alexander papa III canonizaverat, et diem depositionis ejus ab universa Ecclesia cum gaudio celebrari præceperat, commotis hinc inde venerabilibus episcopis, aliisque reverendis personis, per venerabilem patrem nostrum dominum Guicardum, archiepiscopum Lugdunensem, quondam abbatem Pontigniacensem, fecit cum magno gaudio, et exultatione totius ecclesiæ Gallicanæ elevari, et relevari, et in tabernaculo marmoreo retro altare beatæ Mariæ virginis, sicut hodie apparet, religiose et honorifice collocari. » Nonne igitur ex hisce tesmonii videtur omnino verisimile, et veritati consentaneum, duas accidisse corporis S. Bernardi elevationes; alteram quidem anno 1174, quæ minus fuerit solemnis; alteram vero anno 1178, solemnio-

679. Cæterum Henrici Claravallensis abbatis litteræ de hac posteriore elevatione, notis tamen chronologicis non signatæ, ad regem Anglorum Stephanum, exstant apud Mabillonium columna 1345 et 1346, et continent ista: « Celebratus est apud nos dies honorabilis et solemnissimus, nova festivitate jucundus, et ampla jucunditate festivus; utpote quem nobis revelatio sacratissimi corporis beati Bernardi celeberrimum reddidit, et lumine clariore perfudit. O quam volumus gaudiis illis, plus utique cœlestibus, quam terrenis, vestræ majestatis interesse præsentiam! quatenus et nobis de gloria principali decore tantæ festivitatis exeresceret, et vobis de meritis illustrissimi confessoris, miro quodam irriguo uberius benedictionis largitas emanaret. Verum quia id nobis ampla distantia remotissimæ regionis invidit, ad spirituale remedium vota transtulimus fecimusque, Deo propitio, quod vestra ibi, etsi præsentia defuit, memoria non vacavit. Solemniter et enim nomen vestrum cum suæ pietatis insignibus, vestrorum, ut oportuit, et affectionibus fratrum, et cordibus impressimus filiorum: qui ampla illud devotione susceptum, aspectui quodam modo sancti

Patris offerrent, et cœlestis aulae secretario præsentarent.

680. « Præterea ne absentia corporalis occasio regias apothecas inventi numeris participatione fraudaret, mittimus vobis de thesauro reliquiarum ejus honorabilem portionem: indignum penitus reputantes, si pietas tanti principis, tantæ sanctitatis participio fraudaretur. Suscipite igitur digitum sacræ illius manus, quam pro eo quod vir justus ab omni munere terreni quæstus excussit, Deus eam, ut dignum fuit, affluentissima copia cœlestis benedictionis implevit: illius, inquam, manus, cujus tactus sanabat ægros, roborabat invalidos, firmabat homines, dæmones effugabat: illius manus, quæ Claravalli nostræ, cui vos dare tecta disponitis, primum iniecit lapidem fundamentis. Fuit autem studii nostri diligenter in vasculo consignare quod mittitur, ne vel thesaurus ibi reconditus per frequentes apertiones injuriæ pateat, vel devotæ surreptionis instinctu dolus aliquis piæ irrepât. »

681. Jam vero quid dicemus de aliis honorem insignium ornamentis, quæ viro in sanctorum canonem relato honorifice impensa sunt? Auctor Annalium Cisterciensium ad annum 1174, cap. 2, numer. 2, scribens de illa sollemnitate, « Crediderim, ait, in eodem etiam festo sacratum sancto altare; qualia plurima in honorem ejus, in aliis etiam ecclesiis erigebantur. » Et ibidem numer. 3, subdit idem historiographus Cisterciensis « Certe hoc anno Tarentasiensis præsul, senio jam fractus, sed ad bona omnia promptus proclivisque, ad ejusdem Lingonensis episcopi (de Gualtero erat actum) et Fratrum Longivadi (2) petitionem, Longumvadum adveniens, novum in honorem sancti Patris, dedicavit altare, cœmeteriumque, coeuntibus populis, atque inter se certantibus, quis proprior nova sacra lustrare posset. »

682. Honorem sancti nostri non mediocriter amplificaverunt pignora sacra, quæ in varias Europæ regiones migrarunt. Ponam hic illa, quæ pervenere ad meam notitiam, etiamsi mihi plane persuadeam, plurima alia vel apud Cistercienses, vel alibi asservari. In Calendario Cisterciensi, quod Divione impressum est anno 1617, signatur ad diem 17. Maii Translatio S. P. N. Bernardi ad Avenionem. Id quod de aliqua sacrarum reliquiarum parte forsitan intelligi debet. De pretiosissimo pignore, digito videlicet S. Bernardi, quem Henricus abbas ad Stephanum Anglorum regem misit, modo diximus. In historia regni abbatissæ Deiparæ Virginis Suessionensis, anno 1673, Parisiis excusa, lib. iv, cap. 2, pag. 398, narratur dominus d'Honcourt, anno circiter 1400, filiæ suæ Agneti dedisse hierothecam argenteam, in qua reliquiæ S. Bernardi, S. Guilielmi, et aliorum viginti. Sed in catalogo reliquiarum pag. 403, invenio de vestibus agi S. Bernardi, non autem de aliqua

(2) Longum-Vadum ordinis Cisterciensis in diocesi Lingonensi, filium Claravallis, constructum anno 1149.

parte corporis ejus. Mabillonius volumine primo, col. 362, in notis ad epistolam 410, antea 366, sancti Patris, occasione abbatiae sancti Victoris extra muros Parisienses, Canonicorum regularium Ord. S. Augustini..., refert, ejusdem Sancti cucullam in thesauro ejusdem abbatiae servari, perenne ejus in illam amoris monumentum, cum charta, ex qua dependet S. Bernardi sigillum, de quo supra, ait, ad epistolam 284. »

683. Ad Hispaniam spectant pars costae quinque digitis longa, et quinque aliae reliquiae minores, sicut notatur in nostro ms., quod ex Inventario reliquiarum, seu lipsanologio, uti apud nos indicari solet alibi, regii msnasterii S. Laurentii Scorialensis desumptum est. Quid de Italia? Tomo IV Italiae sacrae apud Ughellum inter ea, quae narrantur de episcopis Januensibus, in Othone, columna 850 novissimae editionis Venetae, agitur de amore ac veneratione S. Bernardi viventis erga Januenses; nec non de eorum ad eundem Sanctum vita functum perfugio, dum anno 1625, exorto in Italia bello (Adisis Commentarium hunc nostrum § xxii). Timebant libertati suae: et vero non modo eum Januenses tutelarem elegere patronum; sed oratorem etiam in Gallias destinaverunt Augustinum Centurionem, ut abbas nostri sepulcrum publico honore lampadis argenteae continenter arsurae condecoraret, prout ibidem invenies apud Ughellum. Quae vero mox sequuntur columna 851 huc pertinent: « Centurionem autem abbas Clarævallensis Claudius Argenterius cum monachis ita honorifice excepit, ut ex consensu eorumdem monachorum, adaptato S. Bernardi sepulcro, legatum cum Januensi populo costa ex sancti corpore detracta donandum censuerit, tanto gratius Januensi populo donum futurum, quanto constabat, nemini hactenus contigisse, vel sublato lapide a monumento S. Bernardi corpus oculi usurpare, vel ejusdem reliquias a caeteris membris divulsas secum auferre.

684. « Caeterum delatam Januam sancti corporis costam tantus populi concursus excepit, ut illis supplicationibus nil fieri potuerit magnificentius; inclusamque argenteo vase ad sancti promerendam tutelam perpetuam, in metropolim intulere. Inde collige, lector, alicujus alterius S. Bernardi fuisse oportet illa duo brachia, quorum alterum Cassinenses monachi S. Catharinae Januae; alterum Fratres Praedicatorum apud S. Mariam Novellam Florentiae se gloriantur habere. Siquidem spectante legato Centurione, Claudioque abbate, numerosaque Clarævallensis coenobii monachorum multitudine, constat ita integrum illibatamque S. Bernardi corpus fuisse repertum, ut ne minima quidem pars caetero corpori excidisse videatur. » At digitus tunc saltem aberat a reliquo corpore, secundum dicta paulo ante. Ughellus citatus tomo IX, exhibens Cusentinam metropolim, col. 185, inter alia sacra lipsana, quae referet in basilica metropolitana asservari, ponit brachium Bernardi abbatis; non utique Claravallensis, sicut sequitur ex iis, quae mox praemisimus ex eodem auctore; nisi post annum 1625, eo esset missum, quod deberet probari. Hinc collige, quid sit dicendum de brachio S. Bernardi, quod Masinius in Bononia perlustrata, ad diem 20. Augustini affirmat esse apud moniales S. Leonardi.

685. Raissius in Auctario ad Natales sanctorum Belgii Joannis Molani, signat hasce S. Bernardi in eodem Belgio reliquias; fol. 170, verso. « Camberrone, inquit, vidi aliquando... hujus melliflui doctoris planetam unam. Sancti Bernardi ascetae in Brabantia ad Schaldim fluvium, secundo lapide ab Antuerpia, etiam unam planetam Patris ac patroni sui sese habere gaudent, simul cum junctura una integra ejus sacrae manus. » Sed die 14 Februarii anni, quo haec scribo, 1737, dum essem in hospitio seu refugio, ut vocant, quod dicti ascetae in hac urbe Antuerpiensi habent, relatum mihi fuit illam juncturam furto esse ablatam. Ibid., fol. 170, agitur de fonte S. Bernardi in Luxemburgensis Ducatus monasterio Clarifontis; qui cum fide ac devotione epotus, contra morbos opulationi esse creditur. Supersunt alia sacra lipsana indicanda paragrapho proximo.

§ LXII. *Alia sacra lipsana apud Belgas; Officium; lectiones propriae; an Sanctus antiphonae Salve Regina, sicut in iis dicitur, auctor; honor publicus illi tributus Parisiis, Leodii, ac Romae.*

686. Raissius in Hierogazophylacio Belgico alias bene multas S. Bernardi reliquias commemorat, nimirum pag. 314, duo egregia ossa in cathedrali ecclesia S. Mariae Tornaci: pag. 82, in elencho De ossibus sanctorum apud S. Auberti Canonicorum Regularium S. Augustini coenobium Cameraci, ponitur nomen Bernardi; pag. 218, os in Floressiensi coenobio ordinis Praemonstratensis in territorio Namurcensi; pag. 227, planeta cum stola et manipulo in Gemblacensi coenobio ordinis S. Benedicti, inter Bruxellas et Namurcum sita in Brabantia Gallo-Belgica. « Ipsa autem illa planeta, a me, ait idem Raissius, haud semel inspecta (cum qua etiam saepius Missae sacrificium Deo Patri indignus obtuli) antiquitatem mire redolet. Non enim sicuti modo nostrae planetae, hinc et inde a lateribus aperta est, et bifida, sed undequaque clausa in rotundum, ad mediam usque tibiam descendit. Hinc celebrans utramque illius oram lateralem inferne collectam super brachia sustinet: nec enim manicas vel foramina habet, per quae brachia sacerdotis exerantur. »

687. His accedunt exuvia aliae in eodem Hierogazophylacio notatae. Pag. 298, de cilicio et sudario S. Bernardi abbatis in Maricoleni ord. S. Benedicti in Landresiensi territorio Hannoniae coenobio; pag. 459, de ossibus et cuculla S. Bernardi Clarævallensis antistitis, in parthenone Salsiniensi, ord. Cisterciensis prope Namurcum; pag. 80, inter reliquias abbatiae Cisterciensis Aureavallis in Ducatu Luxemburgensi, « deauratum ibidem, ait citati Hierogazophylacii auctor, praeterea vidimus beati Bernardi

Clarævallensis calicem, quo in missae sacrificio utebatur, quem Constantini primi Aureavallis abbatibus tempore ibidem reliquit; » pag. 515. « Vidimus, » inquit idem reliquiarum collector, agens de Valcellis sive Valliscella ord. Cisterciensis in agro Cameracensi, « ibidem indusium S. Bernardi, praegnantibus mulieribus contra partus pericula remedium singulare; » pag. 3, signatur ab eodem « baculus... quo imbecilles artus sustentare consueverat; quem monachus hujus loci, » nimirum Affligeniensibus ord. S. Benedicti in territorio Alostano, « mnemosyni loco reliquit. »

688. Nec a proposito nostro fuerit alienum aliqua etiam observare de sancti cultu, quo in Ecclesia honoratus fuit, postquam in sanctorum album erat relatus. Officium ejus deinde stabilitum fuisse Papam ritu semiduplici; sed S. Pium V illum evenxisse ad duplicem, mutata tamen in eodem oratione, et homilia, quae hodieum legitur, apponi jussa, notat Bailletus sub finem Vitae S. Bernardi, ex Gavanto: qui de hac re videri potest in Thesauro sacerorum rituum tom. II, pag. 160. Habemus apud nos apographum lectionum propriarum, quae hoc titulo praenotantur: « Ex Breviario ecclesiae Fontanensis parochiae desumptae sunt haec novem lectiones, quae in festo S. Bernardi ad Nocturnos solent legi, nonnulla in ejus Vita ommissa continentur. » Supra hunc titulum adscribitur: « Dono Reverendissimi P. Generalis Feullant [leg. Feuillans]: (id est Fuliensis) et apponitur nomen Joannis Bona, cujus merita satis nota sunt, laudaturque apud Ciaconium inter Vitas pontificum Romanorum et cardinalium tomo IV, col. 793. De religiosis reformatis ordinis Cisterciensis, qui in Gallia Fuliensis, in Italia autem Reformatorem S. Bernardi nomen habent, agit Hippolytus Helyot, in Historia ordinum monasticorum, etc. tomo V, parte IV, cap. 38, a pag. 401. His animadversis, en tibi nunc, lector, praedictas lectiones.

689. *Lectio I.* Beatissimus Bernardus in pago Lingonensi Fontanis oppido patris sui digna pro-pagine oriundus fuit. Carnis quidem prosapia nobilis: sed culmine mentis nobilior. Genitor ejus Tesquillus nomine, genitrix vero ejus Alet, filia Bernardi Montis Barri domini, viri potentis, et de antiquorum Burgundiae ducum generositate originem trahens. Sex namque filios, et unam filiam Dei providentia genuerunt. Sed quia de ejus genere historiam in praesenti explicandam non suscepimus, saltem pauca miracula de vita ipsius, Domino largiente, referamus.

*Lectio II.* Igitur quadam nocte B. Bernardus vigilans, monachis circumquaque dormientibus, audivit angelos in ecclesia voce clara et delectabili Deum collaudantes, et B. Virginem: quos cum audisset, occulte surrexit, et perrexit protinus ad ecclesiam, ut in proximo constitutus videret manifestus, quidnam hoc esset.

*Lectio III.* Vidit namque sanctam Dei Genitricem

A in medio angelorum, quorum unus manu sua thuribulum aureum: alius incensum tenebat. Horum altero deducente, sanctus Vir quasi a dextris gloriosae Virginis incedens ad altare usque parvenit. Ubi voce angelica audivit decantari hanc antiphonam: *Salve regina*, ex integro usque ad finem, quam corde tenens retinens, postea scripsisse, et domino papae Eugenio transmisisse fertur, ut ex praeepto auctoritatis apostolicae per ecclesias solemnis haberetur, in honorem virginis matris Dei. Quod et factum est, ut adhuc plerique testantur.

690. *Lectio IV.* Cum navigaret beatus Vir aliquando per Ligerim, navicula ejus forte concussit pontilium, cui pontilio puer supererat: qui statim in fluxum dilapsus est, et negatus. Excitata fama occurrerunt vicini defunctum plangentes; quem jussit sibi afferri: eoque defuncto oblato, oravit sanctus: puer, cunctis videntibus, ad orationem sancti suscitatus est.

*Lectio V.* Fuit vir quidam religiosus nomine Odo; cujus pars corporis per aliquantum tempus pene mansit emortua, adjacens incommota contractionis. Is post mortem B. viri pervenit. Cumque ex eo, infirmitatis loco [se] perfudisset ex aqua, a B. viro sanctificata, sanus et incolumis reversus est.

*Lectio VI.* Alius vero dolore capitis immaniter vexatus, et omnino sensu privatus, fonte a sancto Bernardo sanctificato irrigatus, sanatus est. Alius per septennium languerat, a parentibus ad sacrum fontem ductus, sospes factus est. Alius quidam longo tempore de febre quartana laboraverat, qui potu fontis ejusdem sanitatem recepit.

691. *Lectio VII.* Igitur apud Barni [f. Barru] super Albam erant duae feminae, quas daemones vexaverant. Deinde parentes earum adduxerunt eas ad hominem Dei, ut ab eo curaretur. Et cum portae Clarævallensium appropinquassent, dixit unus ex diabolis per os mulieris ad alterum diabolum: Oportet exire de hac muliere. Quare, inquit daemon, oportet haec fieri? Qui respondit: Bernardum non possum videre, nec vocem ejus audire. Et confestim egressus est de muliere, et sanata est ex illa hora.

*Lectio VIII.* Qui praesentes huic miraculo aderant, laudantes Deum dicebant: Vere sanctus est homo ille, et Spiritus sanctus habitat in eo. Et cum haec dicerent, venit servus Dei, et gratias agens oravit.

*Lectio IX.* Post orationem vero conversus est ad alteram mulierem dicens: O daemon pessime, inimice Dei, exi de hac femina; ad quam vocem egressus est daemon de muliere, et sanata est ex illa hora.

692. Expono voces quasdam superius occurrentes. *Negatus*, id est submersus, vel in aquis suffocatus. Vide Glossarium Cangii tom. IV, col. 1165 editionis novissimae. *Incommota contractionis*, (in nostro ms. vel mendose, vel modo non satis intelligibili scribitur *in commota*) ita explico ex sensu, ut significet sine motu contractionis. Utrum S. Bernardus com-